DISSERTATIO DE DELIRIO TREMENTE POTATORUM QUAM AD...

Giorgio Bernardi

Digitized by Google

24

DISSERTATIO

DE

DELIRIO TREMENTE POTATORUM

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM

OBTINENDAM

BERNARDI GEORGIUS

EXARAVIT

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

MDCCCXLII

Digitized by Google

620

Digitized by Google

Hominis est ratione, qua inter alia animalia pollet, vitiis aliquando summopere indulgere. Ad sibi ille gratam magis quam vivit vitam reddendam limites quos ultra nefas est gressus agere, transit, flores colit a quibus natura manum abstinere jussit, et sicuti non irrito leges naturae laeduntur paenas peccati sumit. Qui floridae nimis indulget Veneri, qui nimis ilari Baccho, et diutius atque diutius illorum delectamentis ebrius est, sepulchrum celere petit gressu. Et utinam habita ab oculos exempla remedium forent! Ast delectationis desiderio tractus semel Veneri, Baccho, aliisque Diis indulget homo, semel libatis, bis libat, ter, pluries, illos tandem amat, colit, venerat, necessitas insurgit eorum, et vitia imperiosa, quasi naturali necessitate instant. Et heu nimis medici testimonium dicere possunt! Perplurimos revera hic vitiorum consequentias enumerare possem morbos, quos ut taceam de nimiis humanitatis miseriis, et brevitatis ergo, silentio tradam. Tantummodo ad ufficium cui praesens meorum sanctio studiorum vacare imponit adimplendum, de uno pro meis viribus verba faciam, et de eo qui spirituosorum potatores afficit aliquid exponam. Homo vel juvenile fruens aetate vel ad adultam aut senilem perventus, sive floridae tractus vi vitae ullo absque consilio dele-

Digitized by Google

622

ctationibus avidus, sive continuis molestatus curis ipsas compescere cupiens, vel naturalem desiderans vigorem, artificiali sibi modo parare cum conaretur pharmacis apte suis respondentibus utitur votibus. Nec desunt qui instructis opipare fruentes mensis lectulisque in mollibus decumbentes omnibusque stipati opulentiis, alias quaerant delitias totoque animo ad ablectationum apicem tendant. Prouti vero diversae sunt regiones in quibus vitam ducunt, prouti diversae consuetudines vel cultura sunt, vel religiones, diversa adsunt hujuscemodi pharmaca. Maxima vero hominum pars spirituosa ex viti vinifera deprompta sumit. Mei non est hujus pharmaci primos describere fugaces effectus, et si alicui libeat oculo lustrare non difficile nostris temporibus propriae satisfaciet curiositati, et si saltem mei esset supremum ebrietatis gradum ab oculos ponere de hoc onere sublevari me concedatur, cum adeo status hic sit frequens, ut nemo adsit qui eum saltem non viderit. Tantum Puccinotti verba hic exponam: « L'Ubbriachezza si manifesta per un esaltamento della immaginazione congiunto ad uno più o meno alto stupore de' sensi. » In tres periodos ebrietatem dividit; ebrietatem hilarem (*giuliva*) primo, furibundam secundo, lethargicam tertio adscribit. « Nel primo grado il di cui carattere consiste in una insolita vivacità, nel rapido corso delle idee, ed in un folle brio, che ottunde di tanto il risentimento morale, di quanto esalta il piacere della sensuale esistenza, quantunque il rapido flusso dei pensieri osti alla riflessione, l'ubbriaco è tuttavia in grado di poter dominarsi, e di poter reprimere i suoi trasporti, e l'espressione dei proprii sentimenti, per conseguenza responsabile ec. ec. Nel

Digitized by Google

secondo periodo l'ebbro è al tutto fuori di sè. La memoria del passato gli sfugge, l'intelligenza lo ha abbandonato. Egli non vive che pel momento, nè è più al caso di prevedere le conseguenze legali delle proprie azioni. Le sue passioni sono fatte violenti ed irresistibili. Egli è paragonabile ad un maniaco che si dà in preda ad un cieco furore per ogni minima occasione ec. ec. Nell'ultimo periodo l'ubbriaco non solo non è più in possesso di sè, ma la sua mente sbalordita, è caduta in un sonno letargico, egli ne obblia affatto la coscienza e quella dei proprii sensi. »

Et si multum ad mea haec non confert pictura, attamen aliis posthabitis characteribus cum negligere nollem patefacere quomodo saltem hominis hoc in statu se habeant mentales facultates, illam selegi aptam ad scopum judicans.

Ex pluries ebrietatis repetitis accessubus illa generatur morbi forma quae delirium tremens a Saunders hinc a Sutton vocabatur, Enomania a Rayer, Delirium ebriositatis a Blake, Encephalopathia crapulosa a Leveille, Encephalitis tremefaciens a Frank. Et hic alicui forsan arridebit a me petere ad quid tot nomina. Eo quod nominum pluralitas pluries pro scientiae deficientia circa nominatam rem deponit, et hoc usus sum argumento ut demonstrarem adhuc incertam et naturam et sedem hujusce esse morbi; nec inficiandum, quum nemo auctor positive de hujusce adfectionis natura et sede sit loquutus. Cui non patet insuper inscitia expositorum nominum, cum unum symptoma tantum, aliud indefinite adfectionem, aliud nec unum nec aliam exprimat?

Quomodocumque vero se habeat res, ut uno utar

Digitized by Google

b24

nomine, commune seligam et delirium tremens vocabo. Haec morbi forma quae sensim sensimque fraequentior nostris fit regionibus, quam maxime magnis Galliae, Alemagnae et Angliae praecipue civitatibus viget, et observatione constat quod in Polonia, saltem in populo, eadem ratione ac numero mulieres et homines afficiuntur.

In tria stadia Blake delirium dividit.

Primo physiognomia mutata, atque dejecta est, oppressio ad praecordia insurgit, suspiria ducuntur frequenter. Si ab aegro petimus quomodo se habeat, bene asserit attamen nocturna quies quasi nulla est, somniis interrupta terrificis, vel saltem molestis, et aeger mane lassitie correptus e lectulo surgit. Adpetitus imminui incipit, imo cibi respuuntur aliquando, nausea vomituritiones, vomitus, crampi ad extremitates quae aliquando frigescunt, tremoresque manuum praecipue insurgunt. Lingua tremula porrigitur, ideae confunduntur vertiginesque hominem corripiunt. Pulsus juxta Blake lentus, et ut ille ait dulcis (doux) est, facile comprimendus, debilis saepe ac irregularis. Temperatura, extremitatibus exceptis, normalis fere.

Secundo in stadio delirium circa feles, canes familiaresque res in scenam comparet, et hoc stadium magna decurrit in individuis juvenibus ac robustis rapiditate. Et hic animadvertendum advenit quod attenta medicus mente, hoc in stadio, delirium a cerebri phlogosi discernere debet. Vertigines et idearum confusio luculentiores fiunt, atque gravior spiritus aberratio. Physiognomiae expressio quidquam sui generis praebet, ferox, timens, ut ita dicam est. Continue oculos huc, illuc intendit aeger quasi interrogans adstantium

Digitized by Google

desideria, quibus summa cura conatur, maximo cum praecipitio, et motuum axperitate satisfacere. Ægre tulit quascumque circa valetudinem suam admonitiones, et circa curas quas exigit, totoque animo conatur demonstrare se ea perfecte fruere, cui etiam fidem omnem tribuit suam. Eo perventus vividior circulatio fit, faciei calor intensior, quamvis pulsus parvus remaneat, dum temperaturae differentia inter extremitates et reliquum corporis eadem est.

Ni hujuscemodi symptomatibus obviam eat sana arte medicus, sudor abundans, viscidus, graveolens succedit illico, mens adhuc magis alienatur, imagines terrificae mentem aegri turbant. Nunc spectra ille videt, nunc a latronibus adgredi, nunc ferocibus abripi belluis sibi fingit, unde illa oculorum, modo timoris, modo spei, vel furoris expressio, unde aegri inquietudo, indocilitas, aliquando, ad fugam conatus. Hic est quod, apta adhibita cura, somno quandoque per incertum perdurante tempus correptus aeger, mente quasi sanus expergefit, maximam futurae praebens valetudinis spem.

Cum vero delirium certum attigerit gradum, somni aeger beneficio orbatur. Et hic tertium ingruit morbi stadium. Tum aegri facies extremam profert anxietatem, manuum et linguae, sorde magis abtectae, semper vero humidae, tremores augentur, pulsus non modo parvi sed frequentes imperceptibiles fiunt, quod a musculorum pro parte contractione repetendum, urina pallida abundans est, nigricantes feces, contractae pupillae, lucis tamen facile ferentes actionem. Dolore locali attamen adhuc non angitur aeger, et si ab illo quomodo se habeat petimus, se perfecta sanitate gaudere asserit. Ast maxima cum rapiditate apicem petunt

Digitized by Google

626

symptomata, allia illis similia adduntur, quae ultimum typhi stadium concomitantur, et quasi subito aliquando morte aeger corripitur maximo sub convulsionum apparatu, vel delirio extrema musculorum agitatione concomitato, quo perdurante lintheamina manibus glomerare conatur aeger. Quies brevissima, mortalis, ultima praecedit hominis suspiria. Sunt qui opinantur quod perraro in mortem delirium abeat, eo mortalem judicantes quod in pectoris, capitis, et tubi gastroenterici, vel medullae spinalis morbos mutetur, tantum unum super viginti affectorum in periodo morbi acuto mortuum concedentes. Symptomata, quae ex necroscopia defunctorum hujus morbi causa eruuntur, ad haec reduci possunt. Laesiones ad medullam spinalem. Calmeil in sectione cadaveris, victima secundi accessus morbi haec adnotabat. «Il n'existait dans le crâne aucune altération appréciable si ce n'est une teinte violacée mais légère dans la substance corticale, le prolongement rachidien ou niveau de la troisième, ou de la quatrième vertèbre lombaire était diffluent, et la poulpe ramollie offrait l'aspect d'une bouillie blanche teinte en rose.» Trousseau infiltrationem piae matris ex-sanguine adnotavit, duo insuper seri cochlearia omni in laterali ventriculo, et serosam abundantem diffusionem sub aracnoidea membrana spinae, quin perciperetur aliqua in cerebri vel cerebelli pulpa mutatio. Juxta alios membranae medullae spinalis intense sunt sanguine injectae, nunc pia mater magis, nunc aracnoidea rubet, et hoc de cerebri membranis repetendum. Quandoque hydrocephalus, quando hydrorachia adest. Tubus gastro-entericus frequenter phlogoseos acutae, vel cujusdam exitus signa offert; injectio intensi, ru-

Digitized by Google

bri coloris est, quandoque illi gangrenae similis: dum alias ventriculi membranae et intestinorum contractas, rugosas, inspissatas, callosas se praebent. Nec desunt aliquando ulcera quae hic illic per tramitem intestinalem dispersa animadverti possunt. Hac eadem ratione per vasa sanguinea vitia visa sunt, membrana idest interna anterioram rubro tincta colore; illarumque diametrum ita auctum ut quasi aneurismaticae hic illic viderentur. In pericardio vero ea seri quantitas est visa quae hydropem pericardii statuere posset. Aliquoties phlogoseos signis et renes, et vescica urinaria corripiebantur.

Ex his quaenam est morbi natura quaenam sedes?

Quoad naturae diagnosim causas etiam in auxilium revocare oportet. Delirium tremens a spirituosorum abusu pendet, et revera postquam pluries sine lege spirituosa sumpserit homo delirii symptomata in scenam comparent, sitis praecipue molesta, ac virium prostratio, quae dispositionis ad morbum prima determinant signa. Sitim extinguere, vires extollere aeger cupiens, novitus vinum sumit profundioresque dispositio figit radices. Hoc est in statu, et ut melius dicam hac sub dispositione quod a causa occasionali, vel novum spirituosorum abusu, vel intenso labore, vel pertinaci vigilia, vel forti timore, vel sanguinis profusa amissione illa morbi excitatur forma quam delirium tremens diximus Si ergo a causa disponenti, quaenam hujus sit morbi natura eruere placeat, utique inflammatoria declarari posset. Si a causa occasionali phlogosi, et astheniae adscribi posset; cum revera phlogosim spirituosorum actio, astheniam sanguinis amissiones, terror etc. inducant.

Digitized by Google

1124

Nec quidquam lucis methodus ad hunc compescendum morbum in usum tractae afferunt. Quidam enim celebres auctores ad sidera opium, vel vinum, quidam tartarum emeticum vel sanguinis emissiones extollunt.

Sed novitus ad causas redeuntes, si ratione ducti sensim sensimque a causa disponenti nos moveamus et causas occasionales, et symptomata oculo lustremus forsam natura patebit. Nemo inficiabitur quod spirituosa ex viti vinifera deprompta stimulantia non sint, et nemo inficiabitur quod eorum sub usu nisi morbus, cujuscumque sedis, phlogisticae indolis generari non possit. Cujus ergo naturae delirium erit? Quod si supponere placeat quod chemica etiam actio, vel chemicae combinationes adsint quae in organis quaecumque sint centra ut ita dicam statuant, e quibus ad universalem irradiatur morbus, et hic utinam retinendum est quod haec extranea producta uti extranea corpora agentia, continua irritatione, tandem phlogosim evolvere debent. Et hic operae praetium observare existimo, quod hac in suppositione pro nihilo actio spirituosorum dinamica habetur.

Haec quoad disponentes causas. Causa occasionali agente, si abusus sit vini nemini erit incertum phlogosim adesse; si sanguinis amissio dubium insurgeret. Ast si ob oculos retineamus quod proprium est chronicarum inflammationum quorundam viscerum talem inducere habitum ut homini processu temporis necessarium evadat ita, ut si laedatur, laesio etiam functionum insurgat; quae nisi equilibrium ut ita dicam spurium inducendo minime tollitur, res clarius patebit. Et revera hoc propter est quod si hominis natura ad spiri-

Digitized by Google

tuosa assueta his careat stimulis, turbatur; hac propter bibo tremit mane, incertos ducit gressus, et firma manu et stabili pede postquam solitam sumpserit potionem, gaudet. Hoc propter est quod jure in casu nostro judicans medicus phlogisticam habere adfectionem, non jure pro nihilo faciens oppositam, aliquando occasionalis causae actionem, ut esset ex. gr. in casu nostro sanguinis amissio, illam tantum permulcens ideam infelicem gerit curam; debilitatem organismi, quin nisi leniter chronicam phlogosim moderaret, inducit majorem, et a morte difficulter individuum abripit. Remanet ergo quod, quocumque modo, indolis inflammatoriae sit morbus, quamvis indolis diversae sit occasionalis causa, quamvis aliquando methodo stimulante morbus profligatus fuerit. Quod si alicui opponi placeat validam esse contradictionem, mi concedatur observare, quod certa est facti fides, quod si contradictio adsit ratiocinii non est, sed naturae, cum ratiocinium naturae evolvere debeat non illi imponere leges.

Qua cura ergo morbo obviam medico eundum? Natura ipsa iter indigitat. Si causa occasionalis stimulans fuit ut novus recens vini abusus, si symptomata inflammationis generalis praebeant characteres ut rubor, faciei calor, pulsus fraequens durus etc. antiphlogistica cura utendum, si contra se habeat res, inversa esset adhibenda. Nec praetermittendum quod aliquando cura antiphlogistica incongrue elata, postquam vicerit recentem accessum, qua causa occasionalis deprimens agit, et morbum inducit stimulantibus curandum. Criterio observatione medico necesse est ne: In Scyllam incidat cupiens vitare Charybdin.

Quaenam vero morbi sedes?

Digitized by Google

670

Quidam auctores in cerebro, quidam in medulla spinali, quidam in eorum membranis, quidam celebris tria admittit centra in tubo gastro-enterico idest in systemate cerebro spinali et vasculari; et tubi gastro-enterici adfectio prae aliis magni habet. Mei vero non est cui ratio pertineat judicium.

Saltem dicam quod spirituosorum actio in cerebro spinale systema dirigi videtur; ebrietas enim et facultates mentales, et motus voluntarios saltem laedit. Quod constans haec actio, si phlogosim inducat illa in quae agit organa eam inducere debet. Quod praecipua hujuscemodi symptomata morbi delirium et tremores, pro affectione cerebro spinali deponunt. Quod hinc adfectionem aliorum organorum vel secundaria esse vel ab actione mechanica tantum spirituosorum videtur dependere, primo in casu indirecte curanda, secundo cum chronica sit, si non praetermittenda saltem in mora non magni habenda. Quod si phlogosis aliorum organorum per se adsit tum complicatio insurgeret, de qua mei nunc non est verba facere.

Videtur ergo in cerebro spinali systemate sedes hujusce adfectionis quaerenda.

Et mi concedatur idea uti quae a recente erudito auctore exposita est. De venis pertractans perplures morbos ab earum adfectione derivat, suspicionem tantum etiam quod delirium saltem pro parte ab eadem sumat originem demonstrans. Nec fundamento adeo est haec destituta idea ut de illa verba haberi non possint.

Qua ratione afficiantur, qua ratione etiam diversa symptomata exhibeant affectae venae illius linquo scripto. Saltem dicam quod non irrationaliter a congestio-

Digitized by Google

ne venosi sanguinis in sinubus capitis et medullae ebrietatis symptomata repetenda. Nam ad quid pondus transverse aliquando frontem gravans, vel a fronte ad occiput verticem capitis vel latera percurrens sensum gravedinis inducens? Ad quid fugacia deliria vel tremores?

Et si delirium a repetitis ebrietatis accessubus originem habet, saltem videtur eamdem illius sedem habere. Ast delirium certe quoad formam, quoad gravitatem et cursum ab ebrietate differre videtur. Sed si concedendum quod ab ebrietate hos per characteres differat eruendum tamen non est quod diversam sibi seligat sedem. Differentia inter illam et hoc, saltem forsan in gradu vel in sinuum ipsorum diversa conditione repetenda, sub primo ebrietatis accessu normali in statu sinus nervosi se habebant; repetita ebrietate inflammari, et vel ex phlogosi vel ex continuo immodico sanguinis effluxu dilatari coeperunt; symptomata hinc differentia sensim sensimque apparuere, et ex hoc idearum confusio, stupiditas, tremores etc. Et hic facile videre est quod nisi ultimus ebrietatis gradus sit delirium, cujus symptomata differunt ab illos primae ebrietatis eo quod organa sub illa normalia erant, sub hoc chronica affecta phlogosi.

Et duplicem etiam habere possumus delirii formam ut exposui. In prima, methodo antiphlogistico curanda, congestio capitis ut ita dicam activa adest; cum reactione aliquando universali, emissionibus sanguineis parca manu instituendis, et tartaro emetico hoc in morbo remedium princeps mediocri dosi, prouti etiam morbi gradum, fuganda. In secunda stimulantibus pharmacis debellanda, congestio forsan passiva adest. Et quo-

Digitized by Google

622

modo cerebri congestio sub sanguinis emissione, sub usu vini ablato? Hic eadem valet ratio quam antea exposui. Phlogosi correptae membranae sinuum, si solito deficiant stimulo vel vino, vel sanguine data copia per ipsas fluente aequilibrio ablato morbus insurgit, et hic morbus ex congestione pendere potest, nam vino suspenso asthenia relativa inducitur, non amplius sanguinem collectum in motum agere volent venae, congestio passiva adest. Sanguine profuse amisso, stimulo solito carentes sinus, si congestio adeo fortis non est, attamen cum sanguinis cursus retardatur congestio in sinubus ab affectionibus praegressis dilatatis, spuria enascitur. Hoc in casu stimulantibus opus est, quomodocunque agant vel circulum vivificando universalem vel localem, aequilibrium remittendo.

Nec desunt exempla quod stimuli, capitis venosas congestiones vel aliorum organorum tollerent. Congestio quae in capite remanet post vini abusum mane ob capitis pondus manifesta, cibo vel vino tollitur. Ebrietas ipsa motu, cibo, ammoniaca aliquando vincitur. In amaurosi unius oculi (si adsit iridis etiam congestio passiva venosa a paralisi nervorum inducta) oculi adfecti pupilla sub luce dilatatur sani restringitur, eo quod sub actione lucis primo in casu sanguis congestus qui pupillam coarctabat in motum actus vasorum glomerationem permittens pupillae dilatationem sinit, dum in secundo actio eadem lucis, diversa sub conditione, sanguinis fluxum determinans pupillae restrictionem producit.

Si ergo in sinubus venosis capitis et medullae spinalis est adfectio quaerenda, alia sympthomata morbosa aliis in organis necroscopia inventa, ex secundariis

Digitized by Google

affectionibus vel complicationibus repeti possunt. Quod si auxilio necroscopiae est haec suppositio destituta, nescio an omnino esset excludenda. Quot enim medicae opiniones, quorum veritas elucet, essent hoc argumento rejiciendae!

Digitized by Google

474

THESES DEFENDENDAE

1. Juvenis medici est, nunc nimia audacia, nunc perplexitas.

2. Medicus systematicus non laudandus, ast medicus omnis quodam systemate curat, et curare debet.

3. Hilaritas in medico, tum sibi ipsi, tum aegroto valde utilis.

4. Qui omni caret theoria medicus, casu morbos tractat.

5. Colostrum in infantibus alimentum, et remedium.

6. Vita, sanitas, morbus, et mors ejusdem sunt originis.

7. Circumcisio multos praecavet morbos.

99 938 089

Digitized by Google

Digitized by Google